



Feliciter!
DISPUTATIO JURIDICA 29 89.

INAUGURALIS,

Exhibens

Decadem Quæstionum

ex

Variis Juris Capitibus

selectam,

QVAM

Auspiciis sacrosanctæ & Individuæ 1658/1. JCM XXIII

TRINITATIS,

Decreto & Auctoritate

MAGNIFICI NOBILISSIMI
ET AMPLISSIMI JURISCONSULTORUM
COLLEGII IN CELEBERRIMA AR-
GENTORATIENSIVM UNI-
VERSITATE.

Pro

SUMMIS IN UTROQUE JURE

ritè & legitimè consequendis honoribus, Privilegiis

& Immunitatibus.

DOCTORALIBVS,

Publico & placito Eruditorum examini

solemniter submittit

Ad diem 29. Julii,

H. L. Q. S.

GEORGIUS SAMUEL HASENLOFFIUS,

EFFERDINGO-AUSTRIACUS,

ARGENTORATI,

Typis FRIDERICI SPOOR.

M. DC. LVIII.


58

1711

GEORGII SAMUELIS HESNERII
 ALBERTINI VESTRI
 ADUOCATI
 M. DC. LXXXI

au
 ta
 pa
 ma
 pra
 tu
 tin
 ea
 po
 no
 an
 etia
 fal
 rep
 ter
 ens
 hic





Adsis IEHOVA cum spiritu tuo!

Amen.

Ametfi accepto ab Amplif-
sima Facultate Iuridica pro conse-
quendis in utroq; iure honoribus
Doctoralibus solenniter sine Præsi-
de disputandi Decreto, & liberâ eli-
gendi potestate, materiam de Obla-
tione debiti, loco disputationis In-
auguralis proponere constitueram, quam etiam non
tantum tractare incœperam, verum etiam maximam
partem absolveram; quia tamen inter tractandum,
materia omnibus numeris perficienda, mole suâ
præter spem in operis iusti formam excrescere videba-
tur, aliâq; rationes & curæ incidebant, quæ me de con-
tinuando cœpto opère dubium reddidêre, in tantum
eâ me commovêre, ut dictam Oblationis materiam se-
ponere consultius duxerim. Maximè cum ad eos ho-
nores consequendos operosum Tractatum exhibere,
â nullo id statuto Academico requiri noverim, neque
etiam omnia, quæ in scientia legali didicimus, vel
saltem legimus, sesqui triumve horarum spacio effuti-
re possimus aut debeamus: Quapropter temporis pari-
ter ac conditionis meæ sumptuumq; rationem ini-
ens, exemplo aliorum, materiam disceptandi, quæ sola
hîc quæritur, in præsentiarum sequentia Iuris proble-
mata

A

mata

70.
mata discutienda proponere volui. Precatus autem
DEVM. Ter. Opt. Max. & humillimâ mente venera-
tus, ut laboribus hisce legalibus ex alto benedicere, ra-
diisq; spiritus sui mentem meam illuminare clemen-
ter velit, quô hoc quicquid est exercitii in nominis sui
gloriam, Reipubl. literariæ commodum, nostramque
utilitatem, uti suscipere ita etiam terminare queam.
Sit ergò.

QVÆSTIO I.

*Num nuptia liberorum, in quas paren-
tes semel consensere, si postea ratum non ha-
beant, tamen iusta sint & subsistant?*

QVod affirmamus. Quia (1.) liberis consensu Pa-
rentum semel impetrato, jus quæsitum est, quod
certè ipsis in vitis amplius adimi nequit, juxta *l. 11. ff. de
reg. jur.* (2.) Quia is, qui solus actum de novo facere
non potest, etiam actum illum seu contractum jam
perfectum solus revocare nequit, *l. 31. §. 1. cum gloss. ff. de
servit. pradiorum rusticorum.* Iam verò pater libero-
rum nomine solus nuptias contrahere haud potest, si-
quidem huius consensus consensui liberorum in con-
trahendis nuptiis tantùm accedit. *l. 12. & l. 14. Cod. de
nupt. pr. Inst. eod. ibi: nuptias inter se contrahunt, can.
sufficiat 27. q. 2. can. ubi non est 30. q. 2.* Ergo nec ma-
trimonium, si in id semel consenserit, improbare, nec
consensum revocare potest. Et quamvis. (3.) ea, quæ
consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvā-
tur, *§. ult. Inst. quib. mod. toll. obligat.* attamen cum
id verum sit de mutua voluntate contraria, & tantùm
in actibus merè Civilibus, non autem matrimonio lo-
cum

91.
cum habeat Richter. 1. *decision. 8. n. 3.* nihil exinde con-
cluditur, ne dicamus, quod interesse tertii hinc concu-
rat, ubi poenitentia simplex, ab obligatione semel con-
stituta penitus excluditur *l. 5. C. de oblig. & act. ibi: semel
constituta obligationi;* Quæ omnino ita explicanda:
quippe quod aliàs hoc modo ansa præberetur fidem
coniugalem honestæ foeminæ semel datam, ex qua-
cunq; etiam levissima causa frangendi, quo certè nihil
absurdius nihil iniquius esset, confer *Carpzovv. 2. Iu-
risprud. Consistor. 3. defin. 59. n. 16. ibi: So ist er diese anz
gedeutete Ehe mit seinem dissensu zu hindern / vnd den
einmal ertheilten consens zu revociren nicht befugt. B.
R. W.*

QVÆSTIO II.

*An legitimati per subsequens matrimo-
nium, unâ cum legitimè natis in feudis suc-
cedant?*

Affirm. Cùm eum maximè in finem à lege intro-
ducta sit legitimatio per subsequens matrimo-
nium, ut legitimati parilibus cum legitimo ex thoro
natis gaudeant privilegiis, iisdemq; fictione juris in o-
mnibus prorsus æquiparentur. *§. fin. Inst. de nupt. 2. F.
26. §. naturales. cap. tanta 10. exr. qui fil. sint legitimi. Ba-
chov. ad Treutler. 2. disp. 16. th. 2. sub. lit. B. & C. Gail 2.
observ. 127. n. 1. & 2. eos jure liberorum privare nefas ef-
fet, & humanitati minimè consentaneum; maximè,
ut Imper. Iustiniani verba ex *Novella 74. c. 1. circa fin. jun-
cta Novell. 89. c. 9.* hinc mea faciam, ibi: *Neg. à principio,
quando sola natura sanciebat, antequam scriptæ proveni-
rent leges hominis fuit quadam differentia, naturalis atq;
legi-**

V.
legitimi sed primis parentibus primi filii mox ut procedebant, fiebant legitimi. Et sanè legitimisationis huius fictio tanta est, ut matrimonium retrotrahat ad tempus natiuitatis, & tantum operetur, quantum verum in casu vero. *l. filiusfam. 1. ff. de adopt. l. 2. C. qui & advers. quos in integr. restit. non poss. l. 2. §. si à pupillo 15. ff. pro emptore. Gail 2. obs. 127. n. 6. conferatur Barbosa locupletatus à Magnifico & Excellentissimo Domino Tabore ICTo celeberrimo, Praeceptore & Patrono æviternum colendo, l. 6. cap. 13. axiom. 5.* ita ut legitimati per subsequens matrimonium non tam fiant legitimi, quàm censeantur legitimè nati. Andreas Gerhard. *ii. quest. coroll. 1.* Et quamvis Bachov. *ad Treutler. 1. disput. 2. th. 6.* regulam illam respectivè & secundum quid procedere arbitretur, h. e. secundum Ius Civile accipiendum, nempe quod fictio ratione effectuum Iuris Civilis, unde dependet, pari passu cum vero procedat, non tamen quoad intuitum Iuris alterius; cùm igitur fictio ista sit Iuris civilis, utiq; & ex isto jure, non alio, non feudali istius metiendum effectum: Quia tamen nec Feudistæ aspernantur leges civiles in casibus Iure Feudali nec explicitè nec implicitè decisis 2. *F. 1. in pr. ibi: Strenuus autem Iurisperitus sicubi casus emerferit, qui consuetudine Feudi non sit comprehensus, absq; calumniâ uti poterit lege scriptâ.* Et verò effectum legitimisationi per subsequens matrimonium Iure Civili tributum, nullo unquam modo usibus FF. negari constat, eo utiq; non reclamante, ad id quod viva vox juris communis dicitur, rectè decurritur: Niell. *1. Feud. 5.* In patrocinium contrariæ opinionis adducunt 2. *feud. 26. §. naturales,* sed frustra omninò. Text⁹ n. ille de legitimatis per subsequens matrimonium non loquitur, eò quod non solum

92

lūm genuina illa verborum significatio. (licet postea legitimi fiant:) legitimatis per rescriptum Principis propriè competat; verūm vel maximè, quod liberis inhonestum sit, adhuc vivente vasallo de bonis, non nisi per mortem & successionem inde delatam devolvendis, sollicitos eos esse. *l. ita tamen 27. §. à patre 4. ff. ad SCtum Trebellianum*, Quod sanè fieret, si hic textus de legitimatis per subsequens matrimonium esset exaudiendus, quandoquidem liberi non aliter, quam vivo vasallo hoc modo possint legitimari. Atq; hæc sententia communis est, Clarus. §. *Feudum. quest. 84. n. 4.* Wesenbec. *tract. de feud. cap. 6. n. 9.* & æquior Gail. *d. 2. obser. 141. n. 2.* Rittershus. *1. partit. Feudal. 13. quest. 3.* & ob id, non modo in curiis Saxonis recepta. Georg. Schultz *in synopsi Juris Feudalis cap. 8. n. 45.* verūm etiam Camera Imperialis præjudiciis confirmata, tanto minus de ipsius veritate dubitandum, saltem tutius respondendo vel judicando ab eâ non recedere. Bulæus *1. discursuum 1. pag. 34.* Arumæus. *1. Feudorum 16.* nisi quod Domino Hahnio *in observatis ad Wesenbecii paratitla 1. ff. 6. n. 3.* facile assentiamur, regulam hanc fallere ubi contrarium statuto est introductum.

QVÆSTIO III.

An pignus, si nihil de distractione pactum fuerit, ante biennium distrahi possit?

PACTA de distrahendo pignore si intervenerint, omnino servanda esse, certi & indubitati juris est, per *l. 4. ff. de pignoratit. act. l. 3. §. sancimus 1. C. de jur. dom. impetr. §. 1. Inst. quib. alien. lic. vel non.* An autem si nullum pactum sit interpositum ante biennium

A 3

pignus

30.
pignus distrahi possit, anxie disputant Icti. Nos re-
cta ratione & fundamentis expressissimis ducti, negan-
tium sequimur opinionem. Idq; *Primò* probare cona-
mur per *d. l. fin. §. 1. Cod. de jur. dom. impetr.* à qua expressa
constitutione tutò recedi non posse arbitramur. *Dein-*
de ad hanc quoq; opinionis defensionem atq; dictæ
constitutionis interpretationem multum facere vide-
tur, *d. §. contra autem. 1. Inst. quibus alienar. lic. vel non.*
Ubi Imperator expressè ad constitutionem se refert, at-
que certum modum, per quem pignoris distractio
procedere possit, in ea positum esse dicit, ibidem juris
constituti rationem assignat in verbis: *Ne creditores*
jus suum persequi impedirentur, neq; debitores temerè re-
rum suarum dominium amittere viderentur, &c. quod
certè nimis durum esset debitorem continuo rei suæ
dominio excidere debere, maximè cum creditori satis
cautum sit per pignus, & propè in nullo versetur peri-
culo. Hanc sententiam defendunt Cuiac. *de divers.*
temp. prescript. cap. 21. n. 9. Bocer. *class. 2. disp. 13. th. 76.*
Wesenbec. *in parat. ff. de distract. pignor. n. 3. & 4.* Ne-
guz. *part. 6. n. 4. de pignor.* confer quæ eleganter hac
de re tradit Nobilissimus & Excellentissimus Ictus
Dominus D. Rebhan, Collegii Iuridici Antecessor Sc-
nior, Codicis & Feudalium placitorum Professor cele-
berrimus, Facultatis Iuridicæ h. t. Decanus spectabilis,
Præceptor Promotor & Affinis meus gratâ eaq; æter-
nâ veneratione nominandus *in Hodegeta Iuris Chart.*
2. clim. 2. n. 39. pag. 281. in exegesi. Licet autem hæc
sententia satis fundata sit, non desunt tamen qui ab eâ
recedunt, moti per *l. 4. ff. de pignor. act. l. 7. l. 9. C. de di-*
stract. pignor. quæ jura per *d. l. fin. C. de jure dom. impetr.*
non esse mutata existimant, cum in dicta constitutione
non

non de distractione, sed potius de domini impetra-
 tione agatur: Verum ibi non tam rationem impetran-
 di domini pignoris, quam distractionis modum tra-
 dere ex contextu d. constitutionis manifestum fit, sicut
 etiam id solidè nobis excutit *d. §. contra Inst. quib. alien.
 licet. vid.* Excellentissimus Dn. D. Biccus, Antecessor
 cheu non ita pridem famigeratissimus Præceptor ac
 Promotor meus dum viveret fidelissimus, nec post fu-
 nus sine observantiæ contestatione à me citandus in
Aur. rerum quotidianarum sect. 4. th. §. 2. n. 2.

QVÆSTIO IV.

*Num ab emptione & venditione con-
 tractâ, sub amissione aut restitutione arrha-
 rum resilire, & ita pœnitere liceat?*

Distinguimus inter emptionem & venditionem
 perfectam & imperfectam: Quoad hæc pœni-
 tentia locum habet *pr. Inst. de empt. vendit. l. 17. vers.
 illud etiam. C. de fid. instrument,* quia arrhis interceden-
 tibus, hoc tacitè agi videtur, ut non nisi sub pœnâ amif-
 sionis arrharum etiam ab emptione venditione im-
 perfecta alterutri contrahentium pœnitere & recedere
 liceat, *d. pr. ibi: ita tamen impunè ei recedere concedimus,
 nisi jam arrharum nomine aliquid datum fuerit:* Quo-
 ad illam verò non æquè, quin potius si arrhæ insuper
 datæ, recedens non tantùm arrhas perdit, verùm etiam
 ad interesse simul tenetur, quatenus hi contractus se-
 parati sunt, & separata hætenus eorum ratio & causa.
Wesenbec. d. h. pr. Ne quod ad corroborandum con-
 tractum additum est, vertatur in illius infirmationem.

l. 19. in pr. ff. de legat. 1. facit huc l. 3. C. de rescind. vendit. l. 6. C. eod. tit. Nec obstat d. pr. Inst. de empt. & vendit. siquidem manifestò apparet Imper. ibidem non de Emptione & venditione perfecta, sed imperfecta loqui d. pr. ibi: *Donec enim aliquid deest ex his.* Minus refragatur d. l. 17. C. de fid. instrum.: quia ibi agitur de eo casu; ubi nihil arrharum nomine datum est. Vid. Dn. D. Locamer *quest. Justin.* 340. Amplissimus Dn. D. Rebhan. *in supra laudata Hodeget. Jur. chart.* 2. *Clim.* 3. n. 6. pag. 527. Carpzov. *in Jurisprud. Forens.* p. 2. *constit.* 33. *defin.* 14. Ungepaur *Exercitat.* 12. q. 2.

QVÆSTIO V.

An Fœmina ex pacto & providentiâ primi acquirentis simultanè cum Masculo de feudo investita, per hunc semel exclusâ, excludatur in perpetuum?

IN sexum muliebrem non cadere feudorum capacitatem, non tantum ex 1. F. 1. §. *hoc autem* 3. 1. F. 8. & passim patescit, verum etiam rationibus satis validis, quas Anton. Gothofred. *disp. Feudal.* 7. th. 1. lit. h. Schneidevvin. *in tract. Feud. part.* 6. c. 1. *de success. fœmin.* in feud. n. 5. & alibi Interpretes recensent, Feudistæ omnes ad unum receptiori calculo concludunt. Et hoc quidem hætenus regulariter, nisi vel per pactum investituræ providentiâ primi acquirentis adiectum, vel quia feudum suâ naturâ aliàs fœmineum est, idoneitatem suam Domino probaverit, 2. F. 50. & 2. F. 13. 1. F. 8. §. *hoc autem*, nisi specialiter dictum fuerit, ut ad eas pertineat 1. F. 1. Schneidevvin. *loco allegato* n. 29. Gotho.

A.

Gothofred. *dd. th. th. 1. & 4.* ubi tam pro amplianda quam limitanda regulâ plures conclusiones limatiùs deducit. Quibus præmissis affirmativa, utpotè suis tum textibus, tum rationum monumentis haud exiguis roborata, nobis quoq; præ negativa magis com- placuit, per *textum 1. F. 6. §. 1.* cum semper in dubio fortiorem id habeat præsumptionem, quod propiùs ad ipsam rei naturam accedit-

QVÆSTIO VI.

Cùm donatio semel perfecta non nisi ex justis causis l. ult. C. de revocand. don. notatis, revocari possit, quæritur: An casu tali præsupposito judicialis tantùm requiratur, an verò extrajudicialis etiam revocatio sufficiat?

Posterius affirmo per §. 2. *Inst. de donat. & d. l. ult. C. de revocand. donat.* quæ revocationem simpliciter exigit, neq; adjicit qualem, judicialem an extrajudicialem, ergò & generaliter est intelligenda. *l. 9. §. 1. ff. quod metus causa. l. 20. §. 11. in fin. de petit. hered.* neq; illam poenitentiam probant inimicitia capitales, propter verba *d. l. ult. si tacuerit.* Si enim testatione verbis factâ opus, quomodo inimicitia, quæ in animo latent, revocationem satis probare possunt. Unde etiam singulare hoc in revocanda donatione occurrit, quod non transeat ad heredes donatoris. *d. l. ult. vers. hoc tamen.* Et certè frustra Imperator *in d. l. ult.* requiret testationem, si inimicitia sufficerent, quia pleræq; causæ revocandi inimicitias per se declarant, *vid. Donnell.*

B

nell.

20.
Mell. lib. 14. comment. Iur. Civil. c. 29. à quo dissentit
Mozz de donat. col. ult. n. 14. conf. Coll. Iur. Argent. 39. ff.
s. th. 24.

QVÆSTIO VII.

*An venditori præcisa incumbat rei tra-
denda necessitas?*

PRO stabiliendâ negativa quædam tantum suis in se-
dibus collocaturi fundamenta, Ulpiani authorita-
tem inducimus, propter expressa ipsius verba in l. 1. ff.
de act. empt. & vend. quibus mentem eius haud alie-
nam à nostrâ videri constat: *si res, inquit ipse, non tra-
datur, in id quod interest agitur*; Quo quid clarius di-
ci potuisset? Quinimo hoc idem sacratissimus Impe-
rator Iustinianus innuit in l. 17. C. de fid. instrum. in verb.
*Necessitas venditori imponatur, aut contractum venditio-
nis perficere, vel id quod emptoris interest, ei persolvere
&c.* Minoris deniq; non erit adminiculi, si luculentio-
ris probationis gratiâ jam allegatis coniungamus tex-
tum in l. quoties 15. C. de rei vindicat. in quâ licet ven-
ditor rei venditæ dominium ad alium transtulerit, eo-
que ipso facultatem tradendi propriâ suâ culpâ amise-
rit, ad interesse duntaxat condemnatur: quod sanè non
esset concedendum, si ipsi præcisa incumberet traden-
di necessitas, præsertim cum non ex errore, sed ex pro-
posito & spontaneo motu præter conventionem præ-
cedentem rei venditæ alienarit dominium. Reliqua
ad discursum reiicio. conf. Coll. Iur. Arg. 19. ff. 1. th.
8. & th. 46. Locam. quest. Iustin. 305.

QVÆSTIO VIII.

*An mulier beneficio tacitæ hypothecæ,
quam in bonis mariti habet, omnibus eius
cre-*

95.

creditoribus, nullo neq; quâ temporis prioritate, neq; quâ pignoris fortitudinem respectu habito, palmam eripiat?

Quaquam in pluribus concurrentibus creditoribus, quoad prioritatem seu prerogativam, lege sit constitutum, ut prior tempore potior quoque habeatur jure *l. 2. l. 6. C. qui pot. in pignor.* attamen in personas privilegiatas, & quibus prioritatem ipsa lex indulget, id minus quadrare, juris est indubitati Novell. 97. c. 3. §. *his consequens.* Wesenbec. *in parat. ff. tit. qui potior. in pignor. n. 3.* & ibi Bachov. Quarum numero sacratissimus Imperator Iustinianus ut & foeminam includit, ita aliis eam creditoribus, paucissimis exceptis, tam quoad prioritatem temporis, quam hypothecæ fortitudinem prerogativâ præferendam concludit. Quocirca eâ conclusione ducti, foeminam non respectivè duntaxat prioritatis gaudere privilegio affirmamus, sed indistinctè, nulloq; seu temporis seu fortioris pignoris respectu habito, non tam propter genericam ac indefinitam illam *d. l. locutionem*, quam propter Novell. 97. c. 3. & *l. asiduis. 12. C. qui pot. in pign.* Et ut expressâ alia taceam fundamenta, aliud vix suadet tantus dotis exigendæ favor, cuius gratiâ multa contra regulas Iuris disposita inveniuntur arg. *pr. Inst. per quas person. cuiq; l. 2. & 4. ff. de jur. dot.* usq; adeo, utposito non concessio, deficeret peculiaris & certus aliquis Iuris textus, nihilominus huius solius intuitu fortior pro nobis militare videatur ratio, ac consequenter secundum hoc, quod sanè aliquando favorabilius est, responderi magis magisq; conveniat, arg. *l. 20. ff. de reg. Iur.* Cui adstipulatur quoq; inclytæ huius Reipubl.

publ. Argentin. Constitutio ab Anno 1650. de concursu
Creditorum class. 2. §. 2. 3. & seqq. pag. 12.

QVÆSTIO IX.

Num, si tutores & curatores durante tu-
tela & cura administratione locupletiores e-
vadant, hoc ex bono pupilli vel minoris pro-
fectum esse præsumatur?

Iuxta monitum Imperatoris in §. ult. Inst. de suspect.
tut. post Ulpianum in l. 8. ff. eod inopia tutorem su-
spectum facit, suspicio verò hæc probitate & moribus
eiusdem tollitur, qui in primis inspiciendi, & ex iis de
fide eiusdem iudicium faciendum Ferretus in not. ad d.
§. ult. Inst. de suspect. tut. & curat. inde in supra nota-
ta quæstione Diocletianus & Maximil. Imp. justissimè
rescripserunt in l. si defunctus 10. C. arbitr. tut. quod si
defunctus tutelam alicuius administraverit, non re-
rum eius dominium vindicare vel tenere quenquam
posse, sed tutelæ contra ipsum eiusve successores com-
petere actionem. Debitum autem aliis iudiciis com-
probari oportere. Nam quod neque ipse tutor vel
curator neq; uxor eius, quicquam ante administratio-
nem habuerint, non idoneum huius continere iudi-
cium. Nec enim pauperibus industriam vel augmen-
tum patrimonii, multis laboribus & casibus quæsitum,
esse interdicendum. Est enim paupertas τὸν μέτῳ, quæ
per se neminem neq; laudabilem neq; vituperabilem
facit. Abraham. Scultetus obs. sacrar. 3. pag. 3. addatur
Franciscus de petris 1. festivar. lect. 1. n. 10. Attendendū
nihilominus tutoribus & curatoribus pauperibus, cum
in paupertate omninò tentamenta quædam sint, &
pau-

96

paupertas hominem afficiat, inopiæq; necessitas ve-
xet, & multos in flagitium cogat. Ambrosius lib. 5. *de ci-*
uitate d. 17. & 6. cap. 8. ne vel hætenus in delicti suspicionem
incidat *arg. l. 3. ff. de test.* Quod verò dicitur empta à tu-
tore pecunia pupilli, pupillo vindicari posse, id ita ve-
rū est, si constet, ex pecunia pupilli rem comparatā esse,
aliàs pupillo nulla vindicatio est, sed apud tutorem res
manet. *d. l. si defunctus 10. C. arbitr. tut.* Bartol. *ad l. si pa-*
truus 4. C. commun. utriusq. judic. Clar. 5. *recept. sent. §. fin.*
p. 68. n. 30.

QVÆSTIO X. & ultima.

An & quando debitor post factam sub-
hastationem, si Creditoribus debitum offert,
rem subhastatam reuere possit?

Actum supra quæstione tertia de alienatione pi-
gnoris jure pignoris, hæc quæstione hæc pauca in-
super addere placuit de alienatione autoritate publi-
câ facta. An debitor eandem rem reuere queat, & re-
spondemus, quod sic; Quia præconizatio favore debi-
torum introducta est, teste *Domino Carpzov. part. 1. con-*
stit. 32. de fin. 44. Quilibet autem potest favori pro se in-
troducendo renunciare per vulgata. Licitator verò tēpore
subhastationis effluxo non potest ulterius pœnitere, nec
licitationem revocare; Inter proclamantem enim, seu
potius judicem & licitatorem firma exorta est obliga-
tio, quæ invitâ alterâ parte revocari nequit. Bartol. *in l.*
9. ff. de publican. & vectigal. n. 4. Damhouder. *de subhast.*
c. 5. n. II.

DEO ter. Opt. Max. sit laus honor & glo-
ria in sempiterna se-
cula.

6.
Multos Honoris rodit amor quidem,
& cura laudis lancinat acriter,
paucis tamen verà appetentem
laude datur satiare mentem;
Laboriosos scilicet eligit,
quos profuturos provida publicè
Themis notavit, quos per artes
ingenium poluisse novit.
Non prostat auro verus honor, neq;
lenocinantis fraude pecunia
venalis est; Solo labore
& propriis meritis emendus;
Non nundinatrix gratia vel favor
hic sortiuntur, nec Themidis sacrae
vincit triumphatura duros
segnities latebrosa calles.
Proinde solos nobilis impigros
virtus coronat, solaq; fessilis
compensat otii labores
laudiparopretiosa questu.
Hac arte prestat quarere premia
veramq; laudem (nobile pabulum!)
parare, sicq; prorogare
nomen, ad invidie furorem.

addictissimo affectu gratulab.
ponebat frater


Theodorus Hasenloff.

LL. stud.

F. I. N. I. S.







ULB Halle

3

003 882 810




(f)

Sb

KD17







B.I.G.

Farbkarte #13

Feliciter!
ATIO JURIDICA 29 89.
AVGVRALIS,
Exhibens
 eadem *Quæstionum*
ex
variis Juris Capitibus
selectam,
 QVAM
acrofancta & Individua 907 XXIII
INITATIS,
creto & Auctoritate
CI NOBILISSIMI
II JURISCONSULTORUM
N CELEBERRIMA AR-
DRATENSIVM VNI-
VERSITATE.
Pro
N UTROQUE JURE
nsequendis honoribus, Privilegiis
& Immunitatibus.
ORALIBVS,
placito Eruditorum examini
solemniter submittit
Ad diem 29. Julii,
 H. L. Q. S.
MUEL HASENLOFFIUS,
NGO-AUSTRIACUS,
ARGENTORATI,
RIDERICISPOOR.
 M. DC. LVIII.